

VERSIONES.

Theoph. Vatab. Accedebant autem ad eum omnes publicani, & peccatores.

Tertul. lib. de Pharisæi indignati miffita- pudicit. c. 7. bant.

Syriacus. Iste peccatores fufcipit, & cum eis efitat.

Euthymius. Et cibum capit cum illis.

EXPOSITIO I.

ERANT appropinquantes. Simon Cassian. lib. 6. cap. 14. Ecce opportuna peccatorum actio, importuna calumnia Iudæorum: Opportunæ ægri currunt ad medicum, importune verò Iudæi de remedio obmurmurant. Erant appropinquantes. Duplici sensu explicari potest. Primo. Quia solebant familiariter accedere ad illum, Matth. 9. n. 11. Vel quia hoc eodem tempore post superius dicta accesserunt, eius humanitate, ac benignitate freti. Ut ait D. Bonavent. Quia neminem fastidiebat, neminemque repellebat. Erant appropinquantes, non solum gressu corporis, sed etiam animi affectu. At vero Iudas in Horto accessit ad Magistrum gressu corporis, non cordis; ille alius Iudas filius Iacob accessit propius confidenter ad fratrem suum Ioseph. Genes. 44. n. 18. Ore, & corde, ut notat D. Anton. Olyssipon. Domin. 3. post Trinitatem, & inde totum negotium perfecit. Publicani. Beda, Haymon, Glossa, sic dicebantur, qui publica vectigalia exigebant, vel qui lucra sæculi per negotia sectabantur. Et peccatores. Hugo. Publicè peccantes intelliguntur, quia hic est vsus Scripturæ, ut simpliciter peccatores publicos appellet. Mulier qua erat in civitate peccatrix. Luc. 7. Græcus habet omnes. Id est multi publicani, & peccatores, ut audirent illum, auribus mentis, & corporis, ut illi obedirent, ut ait D. Antoni. Citat. Concurrere autem omnes ad Christum, ait Carthusia. Propter vitæ, ac doctrinæ eminentiam, miraculorum abundantiam, & quia Christus valde charitativum, dulcem compassionem, & piæ se eis exhibebat. Hæc benigna affabilitas omnium animos ad se allicit, ac attrahit.

Et murmurabant. Id est apud semetipsos, & populum sequacem clam id obmurmurabant, quod bene expressit Tertullian. Mussitabant. Et dicitur Pharisæi, & Scribæ. Pharisæi, qui erant Religiosi Iudæorum, & Scribæ eorum Doctores; qui maxime, ut ait Hugo, debebant gaudere, de peccatorum conversione, de illa tristatur, & malum pro bono reddentes contra Christi charitatem ira, odio, ac invidia armantur. Peccatores. Erant publicani, ac aliqui publici peccati nota infames. Recipit. Ad colloquium, conversationem, & societatem. Manducat cum illis. Valdè verisimile est, quod postquam Christus prædicauerat, ab eis oblato conuiuio excipiebatur, quibus concio placuerat. Christus autem Dominus, ut ait D. Chryfolog. ferm. 29. Epulabatur, non cibis, sed reditu peccatoeis. Eosque Christus spiritali cibo reficiebat, à quibus corporeo erat reficiendus.

Chryfolog. ferm. 29. Epulabatur, non cibis, sed reditu peccatoeis. Eosque Christus spiritali cibo reficiebat, à quibus corporeo erat reficiendus.

Cassian. 1. Math. 9. Bonavent. Appropinquandum Deo corde, & corpore. Genes. 44. Anton. Beda. Haymon. Glossa. Hugo. Luc. 7. Græc. Carthus. Tertul. Hugo. Chryfolog.

QUESTIO I.

Quare Christus Dominus cum esset ipsamet sanctitas, tam benignè peccatores recipiebat?

AD quæstionem responder. Primò, Theophyl. phylactus. Dominus quidem, ait, illud faciebat, cuius gratia incarnatus est, accedens publicanos, & peccatores, tanquam medicus infirmos. Nam, ut ait Paulus 1. ad Timoth. cap. 1. n. 15. Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores saluos facere. De seque explicat Christus Dominus locum Isai 61. num. 1. Spiritus Domini super me: propter quod unxit me Evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuos remissionem, &c. Luc. 4. numero 18. Cum ergo Christus venerit, ut peccatores vocaret, ac reduceret ad viam penitentia, in fine suæ legationis, ac in re incepta persistit, peccatores colloquio, ac conuersatione ad se recipiens; illud faciebat, cuius gratia incarnatus est. Hinc concio Christi erat. Penitentia agite, appropinquauit enim regnum caloræ. Mat. 3. n. 4. De persistendo in incepto. Vide supra c. 8. n. 17. & t. 3. c. 26. q. 12. n. 71. 72.

Secundò. Ut ait Lyranus. Optime sciebat Christus, quod Scribæ, & Pharisæi de ipso murmurabant, notantes eum, eo quod publicanis, ac peccatoribus amicabilem se præbebat; tamen ob hanc calumniam, ab opere charitatis non desisteat Dominus, tales peccatores recipiens, ac admittens in sui societatem, & colloquium, ut eos ad penitentiam, ac iustitiam induceret, attendens magis hominum salutem; quam sui nominis claritati. Perbelle quærit D. Ambros. lib. 5. in cap. 6. Luc. Cur Christus Dominus elegerit Iudam in Apostolum, quem reprobum esse sciebat. Respondet. Vi sciremus, ait, quanta sit moralitas Domini, qui periclitari magis iudicium, quam affectum maluit; susceperat enim hominis fragilitatem, & ideo nec has partes recusauit infirmitatis humane. Vide quanta sit moralitas Domini, hoc est benignitas, & amor, & quam multus sit in beneficiendo, qui non respuit obscuram notam, quod peccatores, & publicanos apud Pharisæos, & Principes Iudæorum infames, haberet in amicos, & socios, dummodo eximio amoris affectu eorum salutem consulere; Qui periclitari magis iudicium, quam affectum maluit. Sic & in præsentem applicatur. Qui periclitari magis iudicium. In talibus amicis eligendis, quam affectum maluit. Ut illis viam salutis non ostenderet. Susceperat enim hominis fragilitatem, & ideo nec has partes recusauit infirmitatis humane. Cum nostram infirmitatem susceperet Dei filius, non renuit illam infirmitatem, ut sui iudicij electio apud iniquos, & peruersos periclitaretur, dummodo peccatoribus salutis remedia exhiberet. Vide supra cap. 8. quæst. 6. n. 55.

Tertio. Cardinalis Hugo: Appropinquantibus, ait, Christo corde, & corpore veniam postulando: appropinquauerat etiam ipse gratiam infundendo. Ait Iacobus Apostolus cap. 4. num. 8. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Nec mittam, quod Iacobus Dei appropinquationem promittat eis, qui ad eum accesserint, quando quidem ipsemet asseuerat, se appropinquare eis, qui eum non quærebant. Isaias cap. 65. num. 1. ait, quem refert Paulus ad Rom. 10. n. 20. Inueniuntur à non quærentibus me, palam apparui eis, qui me non interrogabant. Quod

3. Theophyl. 1. Timoth. 1. Isai. 61. Luc. 4. In incepto persistendum. Matth. 3. 4. Lyranus. Ambros. Magis periclitari iudicium, quam affectum maluit, & ideo nec has partes recusauit infirmitatis humane. Hugo. Iacob. 4. Christus appropinquat sibi appropinquantibus. Rom. 10.

Quod notauit D. Ambros. in exhort. ad Virgin. dicens: Cum caperis, ait, quæres, adest. neque enim fieri potest, ut desit quærentibus, qui palam factus est, non quærentibus, & inuentus est à non interrogantibus.

Quartò. D. Anton. Olyssip. D. Bonau. Haym & alij. Recepti peccatores, inquit, qui venerat quære- re peccatores, ut eos saluos faceret. Magnum sacramentum huius rei nobis præbet scala Iacob, qui cum vnium lapidem supponeret capiti suo, ac obdormisset. Vixit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens caelum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes, & Dominum immixtum scale, Genes. 28. n. 12. Pedes huius scale nitebantur in lapide, super quem caput Iacob erat reclinatum, qui lapis typum exprimebat Christi sub nostro mortali indumento; quid est quod fastigium scale innitebatur in patre, pedes verò in Christo, & tunc ascendunt, & descendunt Angeli? Quinam sunt isti Angeli. Auctor est D. Anselmus, quod ascendentes iusti erant, qui à Patre ad æternas coronas vocabantur; descendentes verò peccatores extabant, quos Christus lapis vnium ad scale pedes prouoluit ad se trahebat, alliciebat, ac vocabat, ut eos humeris, ac peccatores recipiens, sua diuina gratia calefaceret, ac purificaret, ut ex peccatoribus iusti facti ad Patrem æterna præmia recepturi destinaret, ac mitteret. Sicut ad Deum Patrem aduolabant iusti ad præmia, sic & ad Christum ad gratiam, & sanctificationem currebant peccatores. D. Anselm. ferm. in cap. 3. Luc. Lapis, ait, capiti superpositus, & velut fundamentum scala factus Christus est; qui seipsum humiliavit, ut omnes suos exaltaret, qui sicut fundamentum omnes portat, & à nullo portatur, & per hanc scalam alij ascendunt, alij descendunt; ascendunt, qui proficiunt, descendunt, qui desiciunt.

Postquam Israel in magnum idololatriæ crimen prolapsus est, ait Deus Moyli: Mittam præcursorum tui Angelum, &c. & intres in terram fluentem lac, & mel, non enim ascendam tecum, quia populus durus cervicis est, Exod. 3. n. 2. & 3. Maxime expendenda est ratio appofita à Deo. Non enim ascendam tecum, quia populus durus cervicis est. Nam ut ait D. Augustinus quæst. 150. Magna sacramenti, & mira profunditas, tanquam maiorem misericordiam posset Angelus habere, quam Deus, qui populo durus cervicis parceret, cui Deus, si cum illis esset, non parceret. Nunquid in Angelo esset maior tolerantia ad sustinendum populum delinquentem, quam in ipso Deo; Deus summa bonitas, & ex sua infinita pietate multus ad ignoscendum; Angelus verò creatura, & minister, & inde crudelior, quomodo ait Deus: Mittam præcursorum tui Angelum, non enim ascendam tecum, quia populus durus cervicis est. Angelus hic assignatus à Deo ductor in terram promissionis præfigurabat Christum Dominum in carne venturum; ut tradit Rupertus ad illud Exod. 23. num. 20. Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te. Inquit ille: Protnitit Angelum, id est, Christum Saluatorem, & consuetudinem legis, qui quidem magni consilij Angelus est. Quod etiam docent D. Augustinus citat. & alij. Ac si diceret Deus; si populus esset innocens, & purus. Ego dux viæ essem, at verò quia durus cervicis est, multaque peccatis inuoluitur, ne forsitan in meæ vindictæ periculum veniat, ideo mittam Angelum, ut præcedat in figura filij mei in carne assumpta, cuius eximia pietas, decus, ac imperium, & munus maxime nitet inter peccatores agere, ac commorari, eosque quære, ut ad re-

Sylueira in Euang. Tom. IV.

Ambros. 6. Ant. Olyssip. Bonavent. Gen. 28. Christus ad se allicit peccatores, ut ad salutem reducat. Anselm. 7. Exod. 33. August. Rupert.

Etiam viam terræ promissionis inducat. Ne ergo ægros à medico, & filium meum ab officio sibi commisso seingamus, eum in typo præcursorum tecum præmittam, ut te dirigat via recta in terram fluentem lac, & mel, id est æternam beatitudinem abundantem omni cælesti dono, & gratia.

QUESTIO II.

Quare Pharisæi, & Scribæ murmurabant, quod Christus Dominus peccatores recipere?

RESPONDET primò Glossa Interlinealis ad illa verba, hic peccatores recipit. sic habet: Quasi dicant: contrarius est legi, quæ hoc prohibet. In lege tamen veteri non esse prohibitum cum peccatoribus, & publicanis versari, & manducare probat Abulen. Matth. 9. quæst. 54. & communiter idem docent Patres, & expositores, nec assignabitur locus, in quo talis prohibitio extat; si verò obiciatur locus Pauli 1. Corinth. 5. num. 11. Si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebrius, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere. Respondetur primò cum Caietano, quod Apostolus hoc præcipit, ut peccatores tali pœna afficiantur, ac proinde in suorum delictorum supplicium ab eis fugiamus. Ut Ecclesia mandat excommunicatos vitare. Secundò mandat Apostolus à peccatoribus declinare, ut ipsi confundantur, & respiciant, ut scribit 2. ad Thes. 3. num. 14. Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc nota- re, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur. Tertio. Consortium peccatorum est fugiendum, quando periculum est, ut eorum vita transfundatur, ab eisque fomentum ad peccandum participetur. Sic mandat Deus Israelitis. Non inibis fedus cum eis, scilicet Chananæis, ne forte peccate faciant, Exod. 23. num. 32. Quartò. Pastores, Magistri, ac Doctores spirituales peccatores non fugiunt, sed multa benignitate recipiunt, ut eorum morbis medicamina adhibeant, ut latè docet D. Basilus in Moralibus, Regula 52. cap. 3.

Secundò D. Gregorius Magn. homil. 34. Erant appropinquantes ad Iesum publicani, & peccatores. Quod videntes, ait, Pharisæi indignati sunt. Ex qua re collige, quia vera iustitia compassionem habet, falsa iustitia indignationem. Vera Christi iustitia peccatoribus compatiebatur; falsa verò Pharisæorum iustitia eosdem dedignabatur, eosque à se repellebant, tanquam sua conuersatione indignos. De legis prophætoribus conqueritur Deus apud Isaiam cap. 65. num. 5. Qui dicunt recede à me, non appropinques mihi, quia immundus sum. Seu ut habet Chald. Purior te sum. Ex fastu Iudæi illi auerfabantur Gentiles, ac alios ut peccatores, cum ipsi immundiores essent, tunc immediate subdit Deus: Isti sumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. id est conuertentur in fumum, & ignem, ut explicant D. Hieronymus, Forer. Adamus, Cornel. Sà, & alij, cur isti inflati ibunt in ignem, & fumum. Hugo: Quia tales in presenti sumo superbia inuoluti sunt, & igne concupiscentiæ accensi, quantum ad effectum, deo in furore conuertentur in ignem inferni, & sumi tota die, id est semper per omne sæculum. Pœna respondeat culpa, quia isti de sua iustitia falso præsumentes, per su-

8. Interlin. Abulen. Matth. 9. 1. Cor. 5. Caietan. 2. ad Thes. 3. Exod. 23. Basil. 9. Gregor. Vera sanctitas de peccatoribus habet compassionem. Isai. 65. Chaldæus. Hieron. Adamus. Cornelius. R. R. 2 perbiam

perbiam erant veluti fumus, qui est res vana, & inanis, & cito ascendit, ac deficit, & etiam accensum erant igne concupiscentia, vt alios praecellerent, ideo merito in inferno fumo, & igne plecentur.

10.

Inimici in quo Christo aduersantur, eius gloriam manifestant.

Isai. 9.

11.

Jerem. 43. Zachar. 13.

Pharisaei contra seipos argumentantur.

12. Chrysol.

Non considerat Pharisaeus quales sint, sed quales fuerint.

13. Chrysol.

Qui ad Christum accedunt, ab illo purificantur. Psal. 33. Laur. Iust.

Tertio. Publicani, ac Pharisaei hoc dicebant, vt Christum vituperarent, peccatores recipit, inde tamen maximam Christi gloriam publicabant; hic est maximus Christi honor, haec maxima eius gloria, vt peccatores recipiat, eosque iustificet, illorumque peccata dimittat. Quod infra in hoc capite comprobabo, ad illa verba, quod inuentam ouem posuit super humeros, locus, in quo nota, ac insigne eius imperij constituitur. Cuius imperium super humerum eius, Isai. 9. n. 6. Nicetas citandus: Inuitatam balantem nostram naturam, minime neglexit, sed pra insigni honore complexus est.

Quarto. Scribae, ac Pharisaei haec dicebant, vt sibi, populoque persuaderent, Christum Dominum non esse verum Messiam, ac si dicerent, Messias magna auctoritatis esse debet, ac proinde cum hominibus honoratis versabitur; atqui hic scilicet Christus degit cum peccatoribus, qui vt infames habentur, cum illisque manducat, proindeque non est Messias, hoc argumento Pharisaei contra se arguebant manifeste, aperta Messiae nota in tota Scriptura est, quod Messias peccatores recipiat, eosque mandet. Isaias superiori quaest. in initio. Spiritus Domini super me, sanare contritos corde. Jerem. 43. num. 25. Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas. Zachar. 13. num. 1. de tempore Messiae loquens ait: In illa die erit fons patens domui David, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatae. Ergo cum Christus vocaret peccatores ad penitentiam, eosque iustificaret, clarissime demonstrabatur, quod ipse erat verus, ac legitimus Messias promissus in lege; argumento ergo quo contra fidei veritatem utebantur Pharisaei, ipsomet argumento ad illam faciendam, ac agnoscendam conuincebantur, ac compellebantur. Vide cap. 14. expof. 5. n. 48. & cap. 17. q. 16. n. 104. & tom. 3. q. 1. n. 9. 10. & 11.

Quinto. D. Petrus Chryologus serm. 168. Pharisaeus, ait, non quales venerant, sed quales redibant videre debuit peccatores. Pharisaei murmurabant, quod Christus peccatores ad se admittebat, non considerabant, quod ipse ex peccatoribus iustos faciebat: Non quales venerant, sed quales redibant videre debuit. Quod statim confirmat exemplo. Certè Paulum, quem persecutorem miserant, praedicatorum videant mox redisse. Paulus, qui in Damascum ibat iniquitatis sectator, ac iustorum persecutor, a praesentia Iesu recedit, Doctor, ac Magister veritatis; Pharisaei in his, qui ad Christum venerant, solum considerabant eorum peccatum; non vero iustitiam qua redibant, solum attendebant quales fuerant, non vero quales erant. Vide supra cap. 18. q. 14. n. 100. & 101. & tom. 3. cap. 15. q. 17. n. 140. 141. 142. 143. & cap. 22. q. 9. n. 53.

Sexto. D. Chrysol. citato serm. 168. Recipit peccatores Deus, ait, sed Deus peccatores esse non sinet, quos recipit: peccator Deum non violat appropinquans, Deus peccatores sanctificat. Inique murmurant Pharisaei, quod Christus ad se peccatores recipiat, quos enim ipse recipit peccatores esse non patitur, sed statim sua infinita charitate, eos mundat, & purificat, ac a maculis peccatorum absoluit. D. Laurent. Iustin. lib. de disciplina, & perfect. Monast. cap. 16. expendens illud Psal. 33. num. 6. Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestrae non confundentur, sic ait: Nam semper praest

est celestis maiestas latissimo sua charitatis mellissus gremio fouere ad se accedentem. Propterea diuinam, quisquis propitiam cupit habere misericordiam, ad ipsam accedat credendo, & de ipsa praesumat amando.

Ad Christum Dominum qui de se ait Ioan. 14. num. 6. Ego sum via, spectat illud, quod vaticinatur Isai. 35. n. 8. Et erit tibi semita, & via: & haec via sancta vocabitur, non transibit pollutus per eam. Via haec via regia, ac omnibus patens est; quomodo ergo ad illam non ingredietur immundus, nunquid illi erit interclusa, vel ipse ab aliquo detinebitur, ne ad eam admittatur, minime? Quomodo ergo per illam non transibit pollutus? Cum via sit sancta, vbi primum ad eam accesserit peccator, statim peccator desinet esse, a suisque delictis mundabitur. Carthusianus: Si per hanc viam, ait, pollutus inceserit, statim purgabitur. Et Guarticus Abbas serm. 5. de Aduentu: Admittit sane, inquit, via sancta pollutum, sed statim abluit admissum. Sic qui ad Christum appropinquant, qui est via iustitiae, & veritatis, statim iustificantur, & ex lebere fiunt aurum mundum.

De suo dilecto ait anima sancta: Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani: columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum. Cant. 3. num. 9. Totum ferculum fit de lignis Libani illius testum, ac partes in circuiu, columna vero argentea, reclinatorium ex excellentiori materia, ex auro nempe, reclinatorium recumbente corpore occultatur, cur ergo non potius fiunt ex auro illius testum, columna, ac partes, quae magis oculis obiectebantur, magisque visui patebant. Reclinatorium, ex se non erat aureum; tamen cum caput Christi esset aurum optimum, Cant. 5. num. 11. Vbi primum eum attingit reclinatorium, statim in aurum mundissimum transmutatum est. Gillibert. serm. 1. in Cant. Caput tuum, ait, aurum optimum, reclinatorium aureum non inuenit, sed rediit, ubi se reclinat. Qui ad Christum veniunt quamuis ex suis defectibus, ac delictis reperiantur viles, cum tamen a Christo attinguntur, fiunt aurum mundum.

Luc. 15. n. 3. Et ait ad illos parabolam istam. Num. 4. Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: & si perdidit vnā ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, quae perierat, donec inueniat eam.

VERSIONES.

Origen. hom. 2. Quis habens centum oves, in Genesim. ex quibus cum periisset vna, relictis nonaginta nouem in montibus, descendit quaerere eam, quae perierat. Syriacus. Et proficiscatur quaesiturus eam, quae perit, vsque dum inuenit eam. Vatablus. Abit ad illam, quae perdita est. Arias. Vadit ad perditam.

ALTER

ALTER TEXTVS.

Matth. 18. Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oves, & errauerit vna ex eis: nonne relinquit nonaginta nouem in montibus, & vadit quaerere eam, quae errauit.

16.



VRMVATIONI Pharisaeorum occurrit Dominus, tribusque parabolis de oue, Drachma, ac Prodigio ostendens gratissimam esse Deo peccatorum conuersionem, ac penitentiam. Quis ex vobis homo. Haec est prima parabola de oua perdita, Pharisaeorum obrectationem efficaci refutat argumento, vt ait Hugo, ac si dicat, Quis vestrum quamuis multas habeat oves, si tamen aberrantem reducere laborat ad ouile, non reprehenditur: multo magis nec ego debeo reprehendi, qui hominem errantem reduco multo meliorem oue. Centum oves. Ponitur centenarius numerus, qui est completus, & perfectio nem denotat; vt docent Euthym. in c. 18. Matth. Beda, D. Bonauent hic in Lucam; ideo ad insinuandum meritum dicitur de semine. Cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Luc. 8. num. 8. Omnis qui reliquerit domum, &c. centuplum accipiet. Matth. 19. num. 29. Oues dicit, quae sunt animalia valde stupida, quae sine motu tabescunt, vt infra dicam. Si perdidit vnā. Solam scilicet. D. Matth. habet, errauit. De praeterito, non vero, errat, de praesenti, quasi non perseuerantem in errore, sed ab errore se recipientem aeternus ille Pastor amplectatur; inde ceteris antefertur, vt sequenti vers. ex Ambrosio dicam. Nonne dimittit nonaginta nouem in deserto: Sub bona alterius custodia commissas; In deserto, vbi optimis pascuis se reficiant. Vadit ad illam. Non alicui ministro inuestigationem credit, sed ille per se ipsum eam quaerit. Donec inueniat eam. Quamuis multarum ouium sit diues, tamen tanta sollicitudine vnā solam aberrantem quaerit, vt non conquiescat, donec eam inuenit.

Hae parabola dupliciter applicatur. Primò. D. Hilar. Theophyla. Euthym. D. Thom. D. Anselm. in cap. 18. Matth. Origen. homil. 2. in Gen. D. Irenaeus lib. 3. cap. 21. D. Cyrillus Carthec. 15. D. Ambros. in Apolog. David cap. 5. D. Gregor. homil. 34. in Euangel. docent, quod Deus habuit centum oves; per nonaginta nouem pascentes in montibus, seu deserto, intelliguntur Angeli, qui nunquam peccauerunt, fruentes Deo in caelis; per ouem vero centesimam, quae errauit, denotatur totum genus humanum in vno parente Adamo, quae ouis tunc perdita est, vt inquit Beda, D. Bonauent. D. Anton. Olyfip. Domin. 3. post Trinit. quando primus patens peccauit. Eam vero inuenit, quando Deus factus homo penitentiam praedicauit, ac sanguine suo nos redemit, vt explicant Hugo, Carthusian. Simon Cassian. & alij, ex quo patet quanta sit multitudo Angelorum per respectum ad homines.

Secundò. Intelligitur parabola de solis hominibus, vt tradunt Theoph. Iansen. Mald. Barradas, Lucas Burgenf. Cornel. ac communiter Recentiores: ac si Deus tantum haberet centum homines, quorum nonaginta nouem essent iusti; vnus Sylaicia in Euang. Tom. IV.

ALTER

tantum esset peccator, & aberrans, nonaginta nouem relinqueret, vt illum vnū errantem quaereret, quo maxime explicatur eximia Christi charitas in nos, quantique salutem vnus hominis faciat. Et haec sententia inde probabilior, quia Christus de hominibus agebat, ac proinde in hominibus ponit exemplum.

QUESTIO III.

Quare multipliciter Christus Dominus de ouibus facit mentionem?

CHRISTVS Dominus in Euangelio frequentissime de ouibus facit mentionem. Mito vos sicut oves in medio luporum. Matth. 10. num. 16. Statuet oves quidem a dextris. Matth. 25. num. 33. Ego sum Pastor ouium. Ioan. 10. num. 2. & saepe saepius ibidem. Et cap. 21. n. 17. Cur ouis tam grata Deo, vt eius nomen toties ab eo repetatur, vtque Apostolorum, ac electorum typus consistat.

Respondeo. Quod oves partu edebant agnos, qui in templo Deo cum essent anniculi offerebantur, ac consecrabantur, pro certo habe, quod maxime probantur a Deo parentes, qui filios a teneris annis Deo in religione consecrant, magnūque ex eorum dedicatione reportant emolumentum, multamque benedictionem important a Deo, eique maxime redduntur grati.

Mandat Deus Abrahamo, vt tollat filium suum Isaac, eumque illi offerat in holocaustum. Igitur Abraham de nocte consurgens strauit asinum suum, ducens secum filium suum Isaac. Gen. 22. num. 3. vt docent Origenes homil. 7. in Gen. Procopius, Chrysofom. & alij, quod Abrahamus Dei mandatum non aperuit Sara, sed non praemisit, vt mater filio daret amplexum, eique vltimum vale diceret; noluit Abrahamus vt Sara lachrymis prosequeretur filium Deo in holocaustum offerendum, sciebat enim quod de filio consecrato, magis erat gaudendum; quam tristandum, parentibus enim tunc ille non deest, sed magis prodest, etsi absens sit: melius tamen in auxilium praesens, quam dum domui habebatur. D. Basilus Selencus Orat. 7. introducens Abrahamum loquentem ad Saram. Ego post inuolutionem, ait, lamentantem alloquar, his verbis, ne fleueris puerum ipsa inuolutione cohonestatum, filium non tollit parens, si plus prodest. Expende vltima verba, ac si dicat Abrahamus domum reuertens: filium non tollit parens, si plus prodest. Vtpote Deo consecratus nobis in maiorem vtilitatem cederet.

Hinc Iaphet offerens filiam praemisit Deus eam morte sacrificari, Abrahamus filium viuum recepit, multa adauctum benedictione. In te benedicentur omnes gentes. Iaphet ingemuit super filia, Abrahamus exultauit. D. Ambros. 3. de Virgin. Quia, ait, non vna forma meritorum, ideo non vna forma factorum. Iaphet doluit; non doluit Abraham, ideo misericordia largior.

QUESTIO IV.

Quare cum ouis optimis pascuis cum toto grege abundaret, ab illo tamen recedit aberrans per montes, & deserta?

VIS illa optimis, ac vberimis pascuis cum toto grege laetabunda exultabat, vbi

R R 3 abique